



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Locutio Dei Ad Cor Religiosi

Pawłowski, Daniel

Leodii, 1701

A Meridie, Hora Considerationis. De horrore peccatorum venialium.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59541](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59541)



H O R A

CONSIDERATIONIS,

Tempore pomeridiano,
diei secundæ.

De horrore peccatorum venialium.

Magnus Dei servus David, hac sibi propositâ quæstione: *Cur timebo in die mala?* sic respondet: *Iniquitas calcanei mei circumdabit me.* Quid per istam calcanei iniquitatem intelligatur, per sententias interpretum non eo, sequor que sensum eorum, qui peccata venialia intelligunt, quæ ordinariè ab hominibus pulveris instar habentur, contemnuntur, calcaneo teruntur: his igitur se circumdari timet Propheta, eademque timenda sunt aliis Dei servis, facilè enim ab iis datur progressus ad mortalia. Hinc Sanctæ Theresiæ ostensus fuit à DEO locus in inferno, in quem incidisset, si quædam peccata venialia non vitâisset, ut ipsamet scribit in vita sua cap. 32. Modi autem comparandi sanctum timorem, horroremque horum peccatorum, possunt esse isti:

Primò, elicere frequenter actum

amoris Dei super omnia: qui actus non solum id habet, quod, dum est supernaturalis, deleat peccata, tam venialia quam mortalia; sed etiam continet virtualiter horrorem, detestationemque omnis peccati venialis; nam hoc ipso quia est super omnia, est etiam supra illud bonum, quod quaerit, qui venialiter peccat: *nemo enim intendens ad malum operatur.* Occasiones autem eliciendi actum amoris divini, o quot habet Religiosus per diem! quis illum prohibet, singulis horis ad pulsus horologii, simul cum salutatione Angelica, actum amoris Dei elicere, verbis vel sola mente? In singulis deinde conscientiae examinationibus, Sacri auditionibus vel celebrationibus, orationibus vocalibus, & temporibus, quibus nulla alia urget occupatio, &c. o quanta dantur opportunitates eliciendi actum hunc, & dignissimum, utilissimum!

Secundo: In singulis praeparationibus ad Confessionem Sacramentalem, & in quotidianis examinationibus, vel etiam Meditationibus, obfirmare animum contra peccatum veniale, per protestationem, resolutionemque, resolutioni S. Anselmi persimilem, in hunc modum: *Domine, si ex una parte reclusas inferni fauces, ex altera parte peccatum veniale, scienter & plenè deliberatè committendum, pra oculis haberem: mallet in infernum ruere, quam scien-*

zer & plenè deliberatè, venialiter peccare. Et hæc resolutio non est meri affectus, & per modum alicujus piæ supererogationis, qualis fuit illa S. Augustini, ut scribit Ribadeneira in vita ejus: *Domine, valde exultat anima mea, quòd tu sis DEUS; verùm si per impossibile fieri posset, ut Augustinus esset DEUS, & tu Augustinus, omninò vellem esse Augustinus, ut tu esses Deus.* Non est, inquam, resolutio contra peccatum veniale supererogatoria & meri affectus; sed ex æquitatis & omnimodi debiti, comparando enim eo merè pœnam infernalem, tum quia peccatum veniale est difforme naturæ intellectuali, & est offensa Dei; poena autem, ut poena, non est offensiva Dei, nec est difformis, sed conformis; tum quia peccatum veniale interdum solâ materiæ quantitate, vel qualitate differt à mortali peccato, proindeque affinitatem habet cum illo veluti intrinsecam; nullam autem ejusmodi affinitatem, etiam cum peccato veniali, habet poena, ut poena.

Eadem resolutio ita inhæserat cordi aliquorum Dei servorum, ut cum auxilio Dei obstrinxerint se voto speciali, ad non committendum unquam peccatum veniale, scienter & plenè deliberatè: Bibliotheca Scriptorum Societatis nostræ perhibet de Patre Ludovico de Ponte, quòd is viginti ante mortem

annis votum hoc nuncupaverit, & feliciter Deo adjuvante impleverit, sanctè mortuus 1624. 17. Febr. Corpus illius, in quo Angelica habitavit anima, post mortem Angeli stipare visi. Ibidem refertur de B. Jacobo Alvarez de Paz, cujus Ascetica scripta præ oculis habemus, utinam & præ animis! Eum 26. ante mortem annis, simili voto non committendi plenè scienter ullum peccatum veniale, obstrictum, obligationi huic cum divina ope satisfecisse; unde non immeritò eundem, die quodam celebrantem, Christus Dominus amplexari visus, corpusque ejus incorruptum post mortem mansit, & ex eo liquor balsamo non absimilis promanat, attestans, eum fuisse bonum odorem Christi. Non possum & tertii non meminisse, cujus præclaram mentionem, non tam ad imitandum, quàm ad confundendos tepidos, ferventioribus autem admovendum calcar, facit P. Eusebius Nierembergus *Veta Divina cap. 13.* Fuit is P. Jacobus de Saura, qui divino amore saucius votum (quod mox referam) concepit, cumque illud cordi suo impressum optaret, ex speciali instinctu Dei pectus sibi ipsi à superiore cordis parte aperuit, proprioque sanguine votum scripsit, & nomine subscripto firmavit: vulnus illud adeò altè in corpus descenderat, ut cor ipsum penetrâsse

videretur, prout post mortem relicta
 inibi cicatrix testabatur. Votum hoc
 tale fuit: *Amore Sanctissima Trinitatis, JESU, MARIÆ, & Sanctorum omnium, voveo, quod ad maximam perfectionem velim conniti: nōsti, mi Deus! desiderium meum, & quomodo moriar pra amore, quem habeo, tibi purissimo cum affectu serviendi. O DEVS meus, & amor meus! suscipe me in servum tuum, & meam mihi negligentiam benignus remitte. Voveo item, quod niti velim ad Angelicam puritatem; quod ad rem nullam afficiar, nisi ad te, & propter te; neque aliud amabo, nisi te Deum meum; quod in rebus omnibus, ubi peccatum non cernitur, obtemperabo Superioribus meis, omnemq; illorum voluntatem affectu, & perfectione, quā potero, exequar; quod, quidquid faciam, dicam, cogitabo, desiderabo, id omne futurum sit amore Sanctissima Trinitatis, & Domini mei IESU, ac Domina mea Maria, S. Iosephi; S. Patris mei ignatii, & Curia coelestis universa; quod regulas meas servabo, neque deliberatè peccatum etiam minimum, aut imperfectionem ullam committam; quod cum gratia DEI mei conabor esse in continuo actu, exercitioq; amoris, conformitatis, resignationis, & desiderii, eidem DEO meo placendi, & quod omni loco ac tempore, in DEI praesentia ambulare studebo.*

Votum hoc non ideo adduco, ut ejus nuncupationem cuiquam persuadeam; nuncupare enim illud sine speciali Dei

instinctu, & consilio Patris Spiritualis, periculosum est, & si violetur, constituit specialem malitiam, intra sphaeram tamen peccati venialis, si venialiter peccetur: sed ideo adduco, ut saltem per firma proposita Religiosus obfirmer animum ad non peccandum venialiter. Non video praeterea periculum in hoc, si Religiosus hinc & nunc, ad non peccandum venialiter, obliget se voto, duraturo solum pro una vice, e. g. si hinc & nunc per quadrantem voveat, se non admissurum distractionem plenè voluntariam in meditatione, & sic de aliis: sic enim paulatim disponet animam suam ad uberiores Spiritus Sancti gratiam, non patietur namque Deus se vinci liberalitate à creatura, vota que hæc particularia promovebit ad universale votum non peccandi venialiter: quod, quid est aliud, quam inchoatio vitæ cælestis, & quædam confirmatio in gratia. O vita Sancta! utinam ita detur vivere, & placere dignissimo DEO!

